



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Hieronymi Stridonensis, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Epistolae In Tres Libros distributae

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Coloniae Agrippinae, 1674

XXIII. Ad Riparium. Donum verè. Christi te.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37862

tra hostem diabolum victoriam consequemur.
 Sanctum & venerabilem fratrem nostrum papam
 Alipium ut meo obsequio salutes obsecro Sancti
 fratres, qui nobiscum in monasterio Domino
 servire festinant, oppidò te salutant. Incolu-
 mem te & memorem mei Christus Dominus no-
 ster tueatur omnipotens, domine verè sancte &
 suscipiende papa.

*XXIII. Hieronymus Ripario presbytero cuius laudat
 studium in Purgandis Ecclesiis à dogmatis heretico-
 rum, & exemplo patientia sua hortatur
 illum, ut continenter defendat
 Ecclesiam.*

Domine verè sancto, atque omni mihi affectis
 done venerabili Ripario Hieronymus in
 Christo salutem. Christi te adversum hostes ca-
 tholicæ fidei bella bellare, & tuis literis, & mul-
 torum relatione cognovi, ventosque esse contra-
 rios, & in perditionem mutuum fautores esse per-
 ditionis, qui defensores seculi esse deberent. Ta-
 men scias, in hanc provinciam nullis humanis
 auxiliis, sed propriè Christi sententia pulsus esse
 non solum de urbe, sed de Palæstinæ quoque fini-
 bus Catilinam: nosque dolere plurimum, quod
 cum Lentulo multi conjurationis socii remanse-
 runt, qui in Joppe remorantur. Nobis autem me-
 lius visum est locum mutare, quàm fidei veritas
 tem, ædificiorumque & mansionis amœnitatem
 amittere, quàm eorum communione maculari,
 qui-

quibus in præsentiarum aut credendum erat, aut certe quotidie non lingua, sed gladiis dimicandum. Quanta autem passi sumus, & quomodo excelsa manus Christi pronobis in hostem sæverit, puto te celebri nuntio omnia cognovisse. Quæso ergo te, ut arreptum opus impleas: ne patiaris te præsentem non habere Christi Ecclesiam defensorem. Certè scit unusquisque, quod vel tibi sufficiat pro virili parte: quia non viribus corporis, sed charitate animi dimicandum, quæ superari nunquam potest. Sancti fratres, qui cum nostris sunt parvitate, plurimum te salutant. Puto autem & sanctum fratrem Alentium diaconum tuæ dignationi cuncta narrare fideliter. Incolumem te & memorem mei Christus Dominus noster tueatur. omnipotens, Domine verè sancte & suspiciendus frater.

XXIV. *Hieronymus Apronio. Narrat de persecutione hæreticorum, in qua commendat Apronij constantiam, & suam ostendit calamitatem.*

Nescio qua tentatione diaboli factum sit, ut & tuus labor, & sancti Innocentii presbyteri industria, & nostrum desiderium ad præsens nequam videatur habere effectum. Deo gratia, quod te sospitem fidei calore ferventem, inter ipsa tentamenta diaboli cognovi. Hoc meum gaudium est, quando in Christo audio filios meos dimicare: & ipsum zelum in nos ipse confirmet, cui credimus,